

5. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Secretary, June 3, 2013, Prot. N. 47915/13 CA—Denial of Confirmation of an Election and Appointment of a Trustee—Presentation of recourse

Prot. N. 47915/13 CA

Denegationis confirmationis electionis et nominationis Commissarii
(D.na N.—Pontificium Consilium pro Laicis)

DECRETUM

In Capitulo Generali consociationis publicae fidelium, quae sedem in pago X intra fines Dioecesis Y retinet, die 23 martii 2012 peracta est electio praesidis. Cl.ma D.na N. 95 suffragia, scilicet maiorem suffragiorum partem rettulit.

Decreto diei 9 iulii 2012 Rev.mus Delegatus Episcopalis pro Confraternitatibus electionem invalidam declaravit, Commissarium nominavit et statuit electionem iterandam esse, suspensa voce passiva candidatorum electionis diei 23 martii 2012. De quo decreto certiore facta Recurrens die 23 iulii 2012 remonstrationem ad Exc.mum Episcopum exhibuit, quam Rev.mus Vicarius iudicialis, delegatione ab Exc.mo Episcopo recepta, decreto diei 6 septembris 2012 reiecit.

Quam adversus reiectionem die 4 octobris 2012 recursus hierarchicus interpositus est, quem Pontificium Consilium pro Laicis, exquisitis et receptis animadversionibus a Rev.mo Vicario generali, decreto diei 15 februarii 2013 reiecit.

Quo decreto die 27 februarii 2013 intimato, Cl.ma D.na N. die 7 maii 2013 recursum ad H.S.T. interposuit.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod iuxta artt. 34 §1 et 74, §1 *Legis propriae* H.S.T. coram hac Signatura Apostolica recursus exhibendus est intra terminum peremptorium sexaginta dierum utilium;

Attente perpenso quod:

—Recurrens fatetur se decretum a Pontificio Consilio pro Laicis die 15 februarii 2013 latum die 27 februarii 2013 recepisse;

—Recursus diei 7 maii 2013 ergo extra terminum peremptorium sexaginta dierum utilium interpositus est;

Considerato quod:

—Ignorantia legis non praesumitur (cf. can. 15, §2);

—Ignorantia in casu haudquaquam admitti potest, quia Recurrens in ipso decreto Pontificii Consilii pro Laicis de facultate recurrendi deque termino sexaginta dierum certior facta est;

—Iuxta legem canonicam dies feriati a computatione termini *de quo* non eximuntur;

Cum proinde in casu recursus extra terminum peremptorium utilem propositus appareat;

Praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76, §1, n. 4 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici, utpote indubie ac evidenter extra terminum peremptorium propositum.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto.¹

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae e Sede huius Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 3 iunii
2013

✠ Franciscus DANEELS, o.praem.
Archiepiscopus tit. Bitensis
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G.
Moderator Cancellariae

1. Contra hoc decretum recursus ad Congressum exhibitus non est.